



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punct. Diff. 2. Argumenta Recentiorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

merita sic applicata, non applicantur, nisi ex praevisione absoluta peccati: cum ipsa signa, compleantur ipsa praevisione: jam autem quando applicantur ut applicabilia ex vi alicujus signi, inadequate accepti, non consummantur morte Christi absolute praevisa: adeoque nec erit necessitas, videri peccatum Christicidii: consequenter applicantur tunc merita ob excellentiam capitis, & voluntatis Theandricae, volentis influere gratia, in illa membra sua moralia.

Inquiri hic solet. An Christus primario venerit propter originale, an propter actualia? probabilius est quod primario propter originale, idque propter phrasas Patrum. Unde Gregorius in 1. Reg. lib. 4. cap. 1. *Et quidem, inquit, nisi Adam peccasset, redemptorem nostrum carnem suscipere nostram non oporteret.* Deinde, bonum totius, majus est bono partis: Ergo & malum totius, majus est malo partis: congruebat ergo, ut principaliter ad majus malum tollendum, veniret redemptor, hoc ipso majus bonum praestiturus.

Punctum Difficultatis 2.

Argumenta Recentiorum.

OBJICIT 1. Aldrete. Per hanc sententiam, vi illius primi decreti, teneretur praebere, Deus Adamo de industria auxilium inefficax, quod minimè praeberet, si esset efficax: quod tamen Deo repugnat.

RESPONDETUR. Negando sequelam; quia, in istis principiis, potest quicumque cum gratia sufficienti actu operari, idque proximè; consequenter non ex inclinatione, ne res fiat actu, dabitur haec gratia; adeoque non ex industria, quae sit cum inclinatione ne fiat effectus; licet ex industria hoc sensu, quod praevideatur non futurus eventus actu.

INSTAT. Situ eligeres aliquid bonum praestitum, quia cognoscis hoc tibi magis profuturum, traheris procul dubio ab ipsa bonitate obiectiva, quae obveniret tibi, si eligeres bonum illud: Ergo etiam nequit Deus potius amare hoc auxilium, in casu quo est inefficax, nisi hoc ipso amet, ipsam ejus inefficaciam.

RESPONDETUR. Negando, quod quantum est ex Deo, amet inefficaciam; cum non quantum ex Deo oriatur inefficaciativum gratiae, sed à libera voluntate. Disparitas ergo erit: quia in casu antecedentis, cognoscit & appetit eligens tanquam profuturum sibi bonum: non cognoscit autem Deus, nec amat tanquam sibi profuturam illam inefficaciam; siquidem quantum ex illo, vellent omnes salvos fieri: praecipue, cum ipsum venire illius ut redemptoris, sit ex supposito peccato, ad quod pro priori, se determinavit, libertas creata.

OBJICIT 2. Nunquam Deus permittit ali-

quod malum, quin exinde majus bonum eliciat; ex culpa autem primi parentis non eliciisset bonum, si praedecreta fuisset Incarnatio independentè à praevisione peccati.

RESPONDETUR. Cum tertium motivum, procedat secundum praevisionem conditionatam futuri peccati, ex illo conditionate praeviso, licet pro illo signo non absolute, sufficit ut eruerit Deus majus bonum: cumque peccatum absolute futurum, à se conditionate considerabili, non distinguatur nisi statu, & non in ratione peccati: si Deus, ex illo conditionate praeviso, eruit majus bonum, dicendus etiam erit eruisse simpliciter bonum ex peccato. Dici etiam posset, eliciuisse Deum melius bonum, non quidem post suppositionem absolute facti peccati, sed anticipativè adhibito remedio illi malo: ex qua anticipatione crescit dignitas, sicut crescit ex eo, quod praeverterit, ne sua Mater curaretur ab originali, sed praeleveretur. Denique defendi potest communis responsio: eliciuisse Deum majus bonum, quia decrevit ex suppositione peccati proximam passibilitatem Christi.

INSTAT Aldrete. Post praevisum Adæ peccatum, erat in potestate libera Christi, pati & non pati: & nihilominus non erat in potestate Christi, facere, ne Deus occasione peccati eliceret majus bonum.

RESPONDETUR. Quamvis esset in potestate Christi, pati vel non pati: & licet non sit in ejus potestate, facere, ne Deus eliciat ex peccato majus bonum; ut salvetur, quod defacto eliciuerit, sufficit quod decreverit dare gratias Christo, quas praevidit fore efficaces, ut consentiret in passionem: ratione cujus consensus adhuc salvatur, quod Deus eliciuerit majus bonum.

OBJICIT 3. Positâ tali coordinatione signorum, sequitur aliquid Deum confusè velle.

RESPONDETUR. Universaliter velle, vel non determinando media quae sibi non determinat finis, modò simul pro illo signo in particulari & determinatè velit illud, non est velle confusè aut per species improprias, aut ex impotentia, non distinctivas; sola autem talis confusio est indigna Deo, non autem æquivalens abstractio.

OBJICIT 4. Idem. VERBUM non assumpsit naturam Angelicam, melius autem esset illam assumere, nisi salus humana esset motivum.

RESPONDETUR. An melius esset naturam Angelicam assumere de hoc dubitari posset; neque enim tot dignationes divinae in hac assumptione relucere. Sed quicquid sit de hoc, per nos hoc motivum habetur salutis humani generis, ratione tertii motivi.

INSTAT. Nisi videretur. Adamus constituendus caput omnium posterorum, ita ut ipso peccante ipsi peccarent, periculum lapsus non

videretur absolute futurum; secus verò ipsa culpa Adami. Ergo non erit, cur similiter non prævideatur VERBI Incarnatio, ut absolute futura, in remedium peccati.

RESPONDETUR. Negando consequentiam: quia si prævideretur periculum lapsus postero- rum absolutum, non prævisio absolute, quòd Adam sit constitutus caput, prævideretur effectus sine suo principio: cum periculi absolute, principium absolute, sit absolute constitutus, caput, Adamus; jam autem quamvis decerneretur incarnatio independentem à peccato absolute prævisio, idq; sub conditione, si homo caderet: non potest ostendi, quòd esset effectus, ut ita dicam, sine suo principio; nam esset decretum conditionatum ex prævisio conditionate peccato, licet non ex prævisio absolute.

Quod autem dicit, periculum lapsus totius humani generis, non potuisse prævideri, nisi prævideretur auxilium Adamo concedendum nonnisi sufficiens: & tamen tunc jam prævideri debuit peccatum, ut absolute futurum: id etiam non vincit: nam periculum lapsus absolute danda gratia sufficienti, jamq; tunc absolute prævidebatur peccatum; sed periculum lapsus conditionatum prævideri potuit, data etiam nonnisi conditionate gratia: hæc autem conditionata prævisio ingrediebatur motivum de Incarnatione: consequenter formari illud potuit, sine absoluta prævisione periculi lapsus. Dicit etiam posset, quòd periculum lapsus in particulari Adami, in quantum caput est, spectet nonnisi ad quartum signum: decreta autem incarnationis in secundo signo.

OBJICIT 5. Idem. Nisi universum genus humanum videretur absolute peccaturum, non oportuisset VERBUM sibi copulare naturam creatam: etenim si contingeret Adamum non peccare, minus convenienter facta fuisset humiliatio & exinanitio divinitatis: quia licet unio hypostatica afferat summam excellentiam naturæ assumptæ, tamen non decuit nisi ob causam magni momenti id fieri, & quidem cui aliter subveniri non possit: sicut nec decet ut Rex assumat habitum rustici ad illum ordinem nobilitandum; licet id decet, si regno aliter subveniri non possit.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum: quia etiam peccante genere humano, videtur hoc esse inconueniens, quia illi aliter subveniri potuit, nempe misericordie condonatione: & sicut non decet, ut id vitâ redimat Rex, quod verbo facere potest: ita nec videtur convenire, ut redimat genus humanum Deus, ob absolute prævisum etiam peccatum, cum ei aliunde providere posset. Rursus sufficit ad hoc justificandum, quòd sit decreta Incarnatio, ex prævisione futuri sub conditione peccati, quod futurum sub conditione, non potest non esse. Deinde convenientia hæc Incar-

nationis posset rejici in dignificationem Dei per actiones Theandricas, & in formalitatem capitis.

OBJICIT 6. Idem. Periculum labendi in peccatum, vel non labendi, non sufficiebat, ut Deus absolute decerneret Incarnationem; cum enim posset Deus post prævisam absolute culpam, æque facile decernere Incarnationem: non est cur absolutam prævisionem peccati, non expectaret; sicut nemo ante morbum parat medicinam, si post morbum æque habet ad manum, parare illam.

RESPONDETUR. Potuisse quidem Deum nonnisi post prævisum absolute peccatum decernere Incarnationem; sed non decrevit ob rationes supra allatas. Unde, & hic, qui parat medicinam, si illa simul possit habere rationem doni, rationem excellenter decorativi, non debet expectare quousq; sit ægritudo, sed illam ante prudenter parare potest, & offerre: jam autem Incarnatio, habet & rationem medicinæ, & rationem doni glorificativi, gloriæque allativi.

INSTAT. Si aliquot, vel plures homines peccassent, sed non totum genus humanum, non fuisset facta Incarnatio, nec decreta: Ergo nec decreta est ob solum peccatum prævisum sub conditione.

RESPONSUM jam, negando antecedens.

OBJICIT 7. Idem. Vel ipsum mysterium secundum se, independentem à remedio peccati, fuit motivum sufficiens Incarnationis, vel non? Si 1. non est cur hoc mysterium distulisset, aut cur non est productus Christus cum dono impassibilitatis, auferendo, quando illum pati oporteret? Si non erat sufficiens, ruunt à nobis superius allata.

RESPONDETUR. Fuisse hoc motivum sufficiens & totale, non per exclusionem similis, sed per exclusionem de se insufficientis; non venit tamen in ante Christum, quia pro sua libertate non decrevit Deus, sicut nec de adventu cum impassibilitatis dono. Et sicut decreta Incarnatione in remedium peccati absolute prævisi, per oppositos, non venit Christus in primo, vel secundo centenariio, sed pro libertate divina, adventus est dilatus: sic & in præfenti.

Punctum Difficultatis 3.

An potuit præfiniri Redemptor, ante prævisum absolute peccatum?

PECuliariter contra hoc disputat Aldrete disp. 20. convellendo 3um motivum supra allatum.

OBJICIT 1. Si præfiniretur Christus ut redemptor ante peccatum absolute prævisum, sequeretur, quòd voluntas illa, per quam Deus appli-